



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Modus accedendi ad sacram Communionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

*Crucem tuam redemisti mundum.* Et ulterius,  
*Anima Christi.* Ad *Nobis quoque peccatoribus,*  
 cogitabo de *Vulnere lateris,* & statim petam  
 à *Christo,* vt dignetur in illo abscondere So-  
 cietatem suam, & vt illam conseruet, defen-  
 dat, & augeat; secundò, commendabo defun-  
 ctos parentes, & amicos meos carnales, de-  
 functos Societatis, & illos defunctos, pro qui-  
 bus pauci orant, & qui precibus maximè in-  
 digent: tertio, vt me in illo abscondat, & det  
 mihi veram charitatem, lætitiã spiritua-  
 lem, sanctitatem, doctrinam (si sit maior glo-  
 ria eius) Angelicam castitatem, faciat me bo-  
 num ministrum Societatis; & perseueran-  
 tiam in vocatione, affectum erga B. Virgi-  
 nem, & virtutem examinis particularis; verbi  
 gratiã, charitatem, vel veram internam hu-  
 militatem. Communicabo spiritualiter, &  
 reliquo tempore attende ad verba Sacerdo-  
 tis, & cum illo gratias age. Post Sacrum pri-  
 mò dole, secundò gratias age, tertio vni actio-  
 nem tuam cum Sacrificio. Dic *Magnificat*  
 pro indulgentiã omnium defectuum.

*Communio.*

**I**NTER eundem cogitabo quid sim factu-  
 rus, nempe sumpturus verè carnem & san-  
 guinem Filij Dei, & filij beatæ Virginis. Inui-  
 tabo



tabo Aduocatos meos, vt præparent illi cor meum. In loco pete gratiam, renoua intentionem manè factam. Tum paululùm cogita misérias, peccata, & imperfectiones tuas: dole primò de omni peccato commisso, & propone sinceram emendationem. Ab oblatione vsque ad *Sanctus*, recitabo aliquam orationem vocalem deuotam. tum vsque ad eleuationem percurram totam passionem Christi. Sub eleuatione cogitabo eundem illum Christum de cælo in altare descendere; idque vt paulò post animam meam ingrediatur, adorabo illum, recitando, *Tu Rex glorie Christe*, cum sancto Thòmâ, vsque ad *Saluum fac*, &c. Tum persistam in actibus fidei & charitatis, vsque ad Pater noster. Hic incipiam aspirare ad Christum, dicendo: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris mee?* &c. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontem aquarum*, &c. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*, &c. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. Offeram hæc desideria Christo per B. Virginem, & cogitabo illum respondere: *Ego veniam, & curabo eum.* & dicam humiliter: *Domine non sum dignus*, &c. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Corpus Domini nostri IESU CHRISTI custodiat animam meam in vitam eternam. Amen.* Statim ac recepisti, elice actum fidei,

nimi-



nimirum credere te, hoc quod habes, esse verè Filium Dei, & B. Virginis; tum cum omni humilitate quæras ab illo: *Vnde hoc mihi, vt Dominus meus veniat ad me?* Gratias agam per breuem orationem vocalem, & petam vt idem Patroni mei faciant: tum offeram illi corpus & animam meam, aliquod munusculum in particulari, verbi gratiâ, mortificationis; tum vota mea, illa renouando; demum firmum propositum seruiendi Matri eius B. Virgini, & dicam Orationem Sodalitatis. Deinde conuertam me ad Deum Patrem, petens aspiciat in faciem Christi sui, & per sacra Vulnera eius petam, vt suprâ, omnia. Finiam rursus gratias agendo, & veniam petendo, quòd tam male illum tractarim, dicam, *Laudate Dominum omnes gentes, &c.*

*Confessio.*

**A**NTE Confessionem. Post signum sanctæ Crucis, conuertam me ad B. Virginem, flagitando eius apud Filium intercessionem, & gratiæ impetrationem, vt crimina mea cognoscam, & detester, & internam eorum cognitionem & detestationem sentire possim; tum ad Filium, vt idem mihi impetret à Deo Patre: demum conuertam me ad Patrem, vt idem mihi liberaliter largiatur; postea